Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Evtropii Breviarivm Historiae Romanae

Eutropius

Norimbergae, MDCCLXXXIV.

VD18 12711160

Liber Tertivs.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16405

Visual Library

tus iussit, sine pretio dari eos, qui in publica custodia essent. Qui autem a priuatis tenerentur, ut, pretio dominis redditio, Carthaginem redirent; atque id pretium ex fisco magis, quam a Carthaginiensibus solueretur.

CAP. XXVIII. Q. Lutarius, A. Manlius COSS. creati, bellum Falisci intulerunt, quae ciuitas Italiae opulenta quondam fuit: quod ambo COSS. intra sex dies, quam venerant, transegerunt, XV millibus hostium caesis: ceteris pace concessa, agro tamen ex medietate sublato.

LIBER TERTIVS.

CAP. I. Finito igitur Punico bello, quod per XXIII annos tractum est, Romani iam clarissima gloria noti, legatos ad Ptolemaeum Aegypti regem miserunt, auxilia promittentes, quia rex Syriae Antiochus ei bellum intulerat. Ille gratias Romanis egit, auxilia non accepit: iam enim fuerat pugna transacta. Eodem tempore potentissimus rex Siciliae Hiero-

Romam venit, ad ludos spectandos, et ducenta millia modiorum tritici populo dono exhibuit.

CAP. II. L. Cornelio Lentulo, Fuluio Flacco COSS. quibus Hiero Romam venerat, etiam contra Ligures intra Italiam bellum gestum est, et de his triumphatum. Carthaginienses tum bellum reparare tentabant, Sardinienses, qui ex conditione pacis Romanis parere debebant, ad rebellandum impellentes. Venit tamen legatio Carthaginiensium Romam, et pacem impetrauit.

CAP III. T. Manlio Torquato, C. Attilio Bulbo COSS. de Sardis triumphatum est; et pace omnibus locis facta, Romani nullum bellum habuerunt: quod his post Romam conditam semel tantum, Numa Pompilio regnante, contigerat.

CAP. IV. L. Postumius Albinus, Cn. Fuluius Centumalus COSS. bellum contra Illyrios gesserunt; et multis ciuitatibus captis, etiam reges in deditionem acceperunt: ac tum primum de Illyriis triumphatum est.

CAP. V. L. Aemilio COS. ingentes Gallorum copiae Alpes transierunt. Sed pro Romanis tota Italia consensit: tradi-

ditumque est a Fabio historico, qui ei bello interfuit, DCCC millia hominum parata ad id bellum fuisse. Sed res per COS. tum prospere gesta est: XL millia hostium interfecta sunt, et triumphus Aemilio decretus.

CAP. VI. Aliquot deinde annis post, contra Gallos intra Italiam pugnatum est, finitumque est bellum M. Claudio Marcello, Cn. Cornelio Scipione COSS. Tunc Marcellus cum parua manu equitum dimicauit, et regem Gallorum, Viridomarum nomine, manu sua occidit. Postea cum collega ingentes copias Gallorum peremit, Mediolanum expugnauit, grandem praedam Romam pertulit: ac triumphans Marcellus spolia Galli, stipiti impositа, humeris suis vexit.

CAP. VII. M. Minucio Rufo, P. Cornelio COSS. Histris bellum illatum est, quia latrocinati nauibus Romanorum fuerant, quae frumenta exhibebant, perdomitique sunt omnes. Eodem anno bellum Punicum secundum Romanis illatum est per Hannibalem, Carthaginiensium ducem, qui Saguntum Hispaniae ciuitatem, Romanis amicam, oppugnare adgressus est, annum agens vicesimum eata-

tis, copiis congregatis CXL millium. Huic Romani per legatos denunciauerunt, ut bello abſtineret. Is legatos admittere noluit. Romani etiam Carthaginem miſerunt, ut mandaretur Hannibali, ne bellum contra ſocios populi Romani gereret. Dura reſponſa a Carthaginienſibus reddita. Saguntini interea fame victi ſunt; captique ab Hannibale ultimis poenis adficiuntur.

CAP. VIII. Tum P. Cornelius Scipio cum exercitu in Hiſpaniam profectus eſt, Tiberius Sempronius in Siciliam; bellum Carthaginienſibus indictum eſt. Hannibal, relicto in Hiſpania fratre Hasdrubale, Pyrenaeum tranſiit; Alpes adhuc ea parte inuias, ſibi patefecit. Traditur ad Italiam LXXX millia peditum, et XX millia equitum; ſeptem et XXX elephantos adduxiſſe. Interea multi Ligures et Galli Hannibali ſe iunxerunt. Sempronius Gracchus, cognito ad Italiam Hannibalis aduentu, e Sicilia exercitum Ariminum traiecit.

CAP. IX. P. Cornelius Scipio Hannibali primus occurrit; commiſſo proelio, fugatis ſuis, ipſe vulneratus in caſtra rediit. Sempronius Gracchus et ipſe confligit

fligit apud Trebiam amnem. Is quoque vincitur. Hannibali multi se in Italia dediderunt. Inde ad Tusciam veniens Hannibal, Flaminio consuli occurrit; ipsum Flaminium interemit: Romanorum XXV millia caesa sunt, ceteri diffugerunt. Missus aduersus Hannibalem postea a Romanis Q. Fabius Maximus. Is eum, differendo pugnam, ab impetu fregit; mox inuenta occasione vicit.

CAP. X. Quingentesimo et quadragesimo anno a condita urbe, L. Aemilius Paullus, P. Terentius Varro, contra Hannibalem mittuntur, Fabioque succedunt: qui (Fabius) ambos COSS. monuit, ut Hannibalem, callidum et impatientem ducem, non aliter vincerent, quam proelium differendo. Verum cum impatientia Varronis consulis, contradicente consule altero, apud vicum, qui Cannae appellatur, in Apulia pugnatum esset, ambo COSS. ab Hannibale vincuntur. In ea pugna III millia Afrorum pereunt, magna pars de exercitu Hannibalis sauciatur; nullo tamen Punico bello Romani grauius accepti sunt. Periit enim in eo Aemilius Paullus consul: consulares aut praetorii XX, senatores capti aut occisi

XXX: nobiles viri CCC, militum XL. millia; equitum III millia et quingenti. In quibus malis nemo tamen Romanorum pacis mentionem habere dignatus est. Serui, quod nunquam ante, manumissi et milites facti sunt.

CAP. XI. Post eam pugnam multae Italiae ciuitates, quae Romanis paruerant, se ad Hannibalem transtulerunt. Hannibal Romanis obtulit, ut captiuos redimerent; responsumque est a senatu, eos ciues non esse necessarios, qui, cum armati essent, capi potuissent. Ille omnes postea variis suppliciis interfecit, et tres modios aureorum annulorum Carthaginem misit, quos e manibus equitum Romanorum, senatorum et militum detraxerat. Interea in Hispania, ubi frater Hannibalis Hasdrubal remanserat cum magno exercitu, ut eam totam Afris subigeret, a duobus Scipionibus, Romanis ducibus, vincitur; perditque in pugna XXXV millia hominum. Ex his capiuntur X millia; occiduntur XXV. Mittuntur ei a Carthaginiensibus ad reparandas vires XII millia peditum, IV millia equitum, XX elephanti.

CAP.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. XII. Anno quarto postquam in Italiam Hannibal venit, M. Claudius Marcellus COS. apud Nolam, ciuitatem Campaniae, contra Hannibalem bene pugnauit. Hannibal multas ciuitates Romanorum per Apuliam, Calabriam, et Bruttios occupauit: quo tempore etiam rex Macedoniae Philippus ad eum legatos misit, promittens auxilia contra Romanos sub hac conditione, ut deletis Romanis, ipse quoque contra Graecos ab Hannibale auxilia acciperet. Captis igitur legatis Philippi, et re cognita, Romani in Macedoniam M. Valerium Laeuinum ire iusserunt; in Sardiniam T. Manlium Torquatum proconsulem. Nam etiam ea sollicitata ab Hannibale Romanos deseruerat.

CAP. XIII. Ita uno tempore quatuor locis pugnabatur: in Italia contra Hannibalem; in Hispaniis contra fratrem eius Hasdrubalem; in Macedonia contra Philippum; in Sardinia contra Sardos, et alterum Hasdrubalem Carthaginiensem. Is a T. Manlio proconsule, qui ad Sardiniam missus fuerat, viuus est captus, occisa cum eo XII millia, capti mille quingenti, et a Romanis Sardinia subacta

Manlius victor captiuos et Hasdrubalem Romam reportauit. Interea etiam Philippus a Laeuino in Macedonia vincitur; et in Hiſpania a Scipionibus Hasdrubal, et Mago, tertius frater Hannibalis.

CAP. XIV. Decimo anno, poſtquam Hannibal in Italiam venerat, P. Sulpicio, Cn. Fuluio COSS. Hannibal usque ad quartum milliarium urbis acceſſit; equites eius usque ad portam. Mox conſulum metu, cum exercitu venientum, Hannibal ad Campaniam ſe recepit. In Hiſpania a fratre eius Hasdrubale ambo Scipiones, qui per multos annos victores fuerant, interficiuntur: exercitus tamen integer manſit; caſu enim magis erant, quam virtute, decepti. Quo tempore etiam a conſule Marcello Siciliae magna pars capta eſt, quam tenere Africoeperant et nobiliſſimae urbis Syracuſanae praeda ingens Romam perlata eſt. Laeuinus in Macedonia cum Philippo, et multis Graeciae populis, et rege Aſiae Attalo amicitiam fecit: et ad Siciliam profectus, Annonem quendam, Afrorum ducem apud Agrigentum ciuitatem, cum ipſo oppido cepit, eumque Romam cum captiuis nobilibus miſit; XL ciuitates

in

in deditionem accepit, XXVI expugnauit. Ita omni Sicilia recepta, Macedonia fracta, cum ingenti gloria Romam regressus est. Hannibal in Italia Cn. Fulvium consulem subito adgressus, eum octo millibus hominum interfecit.

CAP. XV. Interea ad Hispanias, ubi, occisis duobus Scipionibus, nullus Romanus dux erat, P. Cornelius Scipio mittitur, filius P. Scipionis, qui ibidem bellum gesserat, annos natus quatuor et viginti; vir Romanorum omnium et sua aetate, et posteriori tempore fere primus Is Carthaginem Hispaniae capit; in qua omne aurum, et argentum, et belli apparatum Afri habebant; nobilissimos quoque obsides, quos ab Hispanis acceperant: Magonem etiam, fratrem Hannibalis, ibidem capit, quem Romam cum aliis mittit. Romae ingens laetitia post hunc nuntium fuit. Scipio Hispanorum obsides parentibus reddidit. Quare omnes fere Hispani ad eum uno animo transierunt. Post quae Hasdrubalem, Hannibalis fratrem, victum fugat, et praedam maximam capit.

CAP. XVI. Interea in Italia COS. Q. Fabius Maximus Tarentum cepit, in

qua ingentes copiae Hannibalis erant. Ibi etiam ducem Hannibalis Carthalonem occidit, XXV millia captiuorum vendidit, praedam militibus diſpertiuit, pecuniam hominum venditorum ad fiſcum retulit. Tum multae ciuitates Romanorum, quae ad Hannibalem tranſierant, rurſus ſe Fabio Maximo dediderunt. Inſequenti anno Scipio in Hiſpania egregias res egit, et per ſe, et per fratrem ſuum L. Scipionem, LXX ciuitates recepit. In Italia tamen male pugnatum eſt. Nam Claudius Marcellus COS. ab Hannibale occiſus eſt.

CAP. XVII. Tertio anno poſtquam Scipio ad Hiſpaniam profectus eſt, rurſus res inclitas gerit: regem Hiſpaniarum magno proelio victum, in amicitiam accepit, et primus omnium a victo obſides non popoſcit.

CAP. XVIII. Deſperans Hannibal, Hiſpanias contra Scipionem ducem diutius poſſe tenere, fratrem ſuum Hasdrubalem in Italiam cum omnibus copiis euocauit. Is veniens eodem itinere, quo etiam Hannibal venerat, a conſulibus Appio Claudio Nerone, et M. Liuio Salinatore, apud Senam, Piceni ciuitatem,

in

in insidias compositas incidit: strenue tamen pugnans, occisus est, ingentes eius copiae captae aut interfectae sunt; magnum pondus auri atque argenti Romam relatum. Posthaec Hannibal diffidere de belli coepit euentu. Romanis ingens animus accessit. Itaque et ipsi euocauerunt ex Hispania P. Cornelium Scipionem. Is Romam cum ingenti gloria venit.

CAP. XIX. Q. Caecilio, L. Valerio COSS. omnes ciuitates, quae in Bruttiis ab Hannibale tenebantur, Romanis se tradiderunt.

CAP. XX. Anno XIV postquam in Italiam Hannibal venerat, Scipio, qui multa in Hispania bene egerat, consul est factus, et in Africam missus: cui viro diuinum quiddam inesse existimabatur; adeo, ut putaretur etiam cum numinibus habere sermonem. Is in Africa contra Hannonem, ducem Afrorum pugnat, exercitum eius interficit. Secundo proelio castra capit, cum quatuor millibus et quingentis militibus, XI millibus occisis. Syphacem Numidiae regem, qui se Afris coniunxerat, capit, et castra eius invadit. Syphax cum nobilissimis Numidis,

dis, et infinitis ſpoliis, Romam ab Scipione mittitur. Qua re audita, omnis fere Italia Hannibalem deſerit. Ipſe a Carthaginienſibus redire in Africam iubetur, quam Scipio vaſtabat.

CAP. XXI. Ita anno XVII ab Hannibale Italia liberata eſt, (quam flens dicitur reliquiſſe.) Legati Carthaginienſium pacem a Scipione petiuerunt: ab eo ad ſenatum Romam miſſi ſunt: quadraginta et quinque diebus induciae datae ſunt, quousque Romam ire et regredi poſſent; et XXX millia pondo argenti ab his accepta ſunt. Senatus ex arbitrio Scipionis pacem iuſſit cum Carthaginienſibus fieri. Scipio his conditionibus dedit, *ne amplius, quam XXX naues, haberent, ut D millia pondo argenti darent: captiuos et perfugas redderent.*

CAP. XXII. Interim Hannibale veniente ad Africam, pax turbata eſt, multa hoſtilia ab Afris facta ſunt; legati tamen eorum ex urbe venientes, a Romanis capti ſunt, et iubente Scipione dimiſſi. Hannibal quoque frequentibus proeliis victus a Scipione, petit etiam ipſe ſpacem. Cum ventum eſſet ad colloquium, iisdem conditionibus data eſt, qui-

quibus prius; addita quingentis millibus pondo argenti, C. milia libraum, propter nouam perfidiam. Carthaginiensibus conditiones displicuerunt, iusserunt-que Hannibalem pugnare. Infertur a Scipione, et Massinissa, alio rege Numidarum, qui amicitiam cum Scipione fecerat, Carthagini bellum. Hannibal tres exploratores ad Scipionis castra misit: quos captos Scipio circumduci per castra iussit, ostendique eis totum exercitum; mox etiam prandium dari, dimittique, ut renunciarent Hannibali, quae apud Romanos vidissent.

CAP. XXIII. Interea proelium ab utroque duce instructum est, quale vix ulla memoria fuit, cum peritissimi viri copias suas ad bellum educerent. Scipio victor recedit, pene ipso Hannibale capto: qui primum cum multis equitibus, deinde cum XX, postremo cum quatuor euasit. Inuenta in castris Hannibalis argenti pondo XV millia, auri LXXX, cetera supellectilis copiosa. Post id certamen pax cum Carthaginiensibus facta est, Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphauit, atque Africanus ex eo appellari coeptus est. Finem accepit secun-

cundum Punicum bellum, post annum septimum decimum, quam coeperat.

LIBER QVARTVS.

CAP. I. Transacto Punico bello, secutum est MACEDONICVM contra Philippum regem.

CAP. II. Quingentesimo et quinquagesimo primo anno ab urbe condita, T. Quintius Flamininus aduersus Philippum regem mittitur: prospere rem gessit: pax ei data est his legibus, *ne Graeciae ciuitatibus, quas Romani contra eum defenderant, bellum inferret: ut captiuos et transfugas redderet, quinquaginta solum naues haberet, reliquas Romanis daret, per annos decem quaterna millia pondo argenti praestaret; et obsidem daret filium suum Demetrium.* T. Quintius etiam Lacedaemoniis intulit bellum; ducem eorum Nabidem vicit: et, quibus voluit conditionibus, in fidem accepit. Ingenti gloria duxit ante currum nobilissimos obsides, Demetrium Philippi filium, et Armenem Nabidis.

CAP.

Landesbibliothek Oldenburg